

octo, item alia sex, vel septem ad summum funalia apponi possent in alto loco, in frontispicio tribunæ; maxime si celebraret aliquis S. R. E. Cardinalis, et locus esset ad id aptus.

21. Hæc, ut diximus, observanda erunt in solemnioribus Ecclesiæ festivitibus, ac celebrante Episcopo; plus autem, vel minus, pro celebrantis qualitate et gradu. Non celebrante Episcopo, sed præsentem, simplici ornatu erit agendum.

22. In Ecclesiis Collegiatis, ubi Episcopus, nec celebrans, nec præsens est, eadem circa ornatum Ecclesiæ et altaris conveniunt, exceptis his, quæ Episcoporum sunt propria. Paramenta vero in sacristia parari convenit. Mensa multo brevior et demissior erit adhibenda, cum pauca sint in ea reponenda, nempe pelvicula cum urceolis vini et aquæ, calix cum bursa et corporalibus, et quandoque quædam alia pro celebrationis necessitate et usu; ideoque satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete, aut panno, aptari a latere Epistolæ, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono.

23. In solemnitatibus majoribus, quæ ubique per annum occurrunt, videlicet in Nativitate Domini, Paschate et Pentecoste, etc., eadem erunt servanda, nisi quod valvæ, porticus et parietes Ecclesiæ non ornantur regulariter; sed, si in aliquibus Ecclesiis consuetudo esset tunc quoque ornandi, retinenda hæc erit, cum circa majorem ornatum semper sit laudabilis. Id tamen in hujusmodi festis non omittatur, ut saltem tribuna, altare majus, et alia minora, sedes Episcopalis, abacus et amboes eadem forma ornentur.

24. Dominicis diebus, et aliis festis quibus populi ab opere cessant, in ornatu altarium, sedis Episcopalis, sedium Canonicorum et aliorum, eadem, sed aliquanto parcius fieri debent, videlicet, ut paramenta non sint ita sumptuosa, coloris tamen tempori congruentis, et omnino pretiosiora illis, quæ festis duplicibus minoribus, semidupli-

cibus et octavis, feriis Quadragesimæ, Adventus, quatuor Temporum et Vigiliarum adhibentur: quibus quidem diebus sufficient in altari quatuor candelæ in candelabris; sed in festis simplicibus et feriis per annum duæ. Eadem respectively etiam in Collegiatis observantur.

25. Erit autem valde opportunum, ubi fieri possit, præsertim in Ecclesiis majoribus et opulentioribus, si constituatur minister aliquis, cui curæ sit, ut Ecclesia continuo in omni ejus parte munda sit et expolita, tam in pavimento, quam in parietibus, columnis, fornicibus et laquearibus, nec per eam discurrere permittat mendicos, canes, aut alia animalia, divina Officia perturbantia. Quædam vero alia, quæ in quibusdam solemnitatibus, aut Officiis specialius requiruntur, suis locis dicentur.

CAPUT XIII.

Sedes Episcopi in qua parte collocanda. Tribus gradibus ad eam ascenditur. Ejus forma et ornatus. Si chorus sit in medio Ecclesiæ, Episcopus assistit ibi in sede pro ipso ordinata. Cardinalis Legatus, vel non Legatus, assistit in sede Episcopali, et Episcopus sedet interim in faldistorio. Si Episcopus sit Cardinalis, et assistat Legatus, Episcopus Cardinalis habet æqualem sedem prope Legatum. Ubi sedere debeant Metropolitanus, Nuntius Apostolicus habens facultates Legati de latere, vel eas non habens, Visitor Apostolicus Episcopus, Vicarius Generalis, Protonotarii Apostolici, Magistratus, alique Proceres.

1. Sedes Episcopi vario modo collocatur pro diversitate altarium, apud quæ statui debet. Nam aut altare est in medio sub tribuna, pariete disjunctum, ita ut in spatio illo constitutus sit chorus, et tunc sedes Episcopalis e regione altaris parieti applicabitur, ita ut Episcopus, in ea

sedens, respiciat recta linea mediam altaris partem, habeatque hinc inde sedilia Canonicorum.

2. Si vero chorus sit in medio Ecclesiæ, et altare adhaereat parieti, vel ab eo modico sit intervallo separatum, ipsa sedes Episcopalis erit collocanda a latere Evangelii.

3. Utroque autem casu tribus gradibus ad eam ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit præalta et sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore, aut alia materia fabricata in modum cathedræ et throni immobilis, quales in multis Ecclesiis antiquioribus videmus: quæ debet tegi et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis: et super eam umbraculum, seu baldachinum ejusdem panni et coloris appendi poterit, dummodo et super altari aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur; nisi ubi super altari est ciborium marmoreum, vel lapideum: quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest. Hujusmodi sede utetur Episcopus, dum Vesperæ et Missæ per ipsum solemniter celebrantur. Cum vero Missis non solemnibus, et Horis matutinis, aut aliis Episcopus assistit; si fuerit in medio Ecclesiæ chorus ante altare, poterit ibi in sede, pro ipso ordinata, residere, quæ remanebit in eo loco, ubi ex consuetudine Ecclesiæ esse solet, sive longius, sive propius ab altari distet. At ubi chorus est sub tribuna, poterit in sede Episcopali supradicta, tam in solemnibus, quam non solemnibus Officiis esse.

4. Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis Legatus de latere, vel non Legatus, rei divinæ interesset, convenit ei sedes Episcopalis supradicta, Episcopus vero, si celebret, in faldistorio in cornu Epistolæ; si non celebret, et chorus sit in Presbyterio sub tribuna, sedebit in digniore parte chori.

5. Quod si Episcopus quoque esset S. R. E. Cardinalis, si Legatus haberet sedem a latere Evangelii, sedebit quoque Episcopus Cardinalis non celebrans in eodem loco, et plano, et sedibus æqualibus prope Legatum.

6. Eodem quoque modo sedebunt, si plures adessent Cardinales, dummodo Episcopus Cardinalis sit omnium postremus; celebrans vero in faldistorio, ut supra.

7. Si vero Legatus esset in sede Episcopali sub tribuna, sedebit Episcopus Cardinalis, et alii Cardinales, si adessent, prope Legatum, ut supra dictum est; ipse autem simplex Episcopus sederet, vel ex opposito in sede humiliori, vel in digniori parte chori, aut in faldistorio, prout dictum est de Cardinali Legato, vel non Legato præsentem, pro diversitate situationis chori et Episcopi celebrantis, vel non celebrantis.

8. Quod si Episcopus sit Cardinalis, et intersit alius, vel plures Cardinales non Legati, poterunt omnes ab eadem parte Evangelii, ubi solet esse sedes Episcopalis, sedere in sedibus æqualibus, vel in digniori parte chori, quando est sub tribuna; dummodo Cardinalis Episcopus sit omnium postremus. Et Episcopalia munia remittet exercenda Cardinali præsentem, vel si plures sint, priori in ordine. Quæ si Cardinalis præsens facere recusaverit, poterit Episcopus Cardinalis omnia prædicta munia, vel remittere ad celebrantem, vel ipse exercere, et in fine quando benedictionem solemnem erit daturus, accedere ad altare, et inde populo benedicere, ut supra *Cap. iv. §. iii.* dictum est.

9. Metropolitanus, absente Legato, vel alio Cardinali, habeat aliam sedem ex opposito in cornu Epistolæ, similiter ornatam, ut sedes Episcopalis: alii vero Episcopi hospites sedebunt in digniori loco post Episcopum Diocesenum supra omnes Canonicos. Abbates Diocesani benedicti, habentes usum mitræ et baculi, habebunt locum decentem pro judicio et prudentia Episcopi: dummodo non sit supra, nec inter Canonicos.

10. Nuntii Apostolici, habentes in eo loco facultates Legati de latere, sedebunt in alia sede ornata, prout de Metropolitano dictum est, non tamen in sede propria Episcopi, et habebunt honores ante Episcopum non celebrantem. Alii vero Nuntii Apostolici, non habentes facultates

tates Legati de latere, vel habentes, sed non in eo loco, et dum sunt in itinere, et contingat eos transire per aliquas civitates, vel Ecclesias Cathedrales, seu Metropolitanas, sedebunt in digniori et eminente sede chori, et habebunt honores immediate post Episcopum, et in processionibus et aliis actibus similibus habebunt præeminentiam supra omnes Protonotarios, et supra Canonicos.

11. Visitator Apostolicus, si erit Episcopus, habebit sedem sicut Nuntius, non habens facultatem Legati de latere; nisi talis Nuntius esset præsens, cui tunc cedit, sedens post eum.

12. Vicario Generali dabitur locus, quem habere solet pro consuetudine diversarum Ecclesiarum. Protonotarii Apostolici non participant, post Abbates; participant vero præcedunt Abbates. Post Protonotarios, Generales Ordinum, deinde alii Prælati Apostolici.

13. Sedes autem pro nobilibus, atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumlibet magnis, et primariæ nobilitatis, plus minusve, pro cujusquam dignitate et gradu ornata, debent extra chorum et Presbyterium collocari, juxta sacrorum Canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ Religionis introductæ, ac longo tempore observatæ.

CAPUT XIV.

Umbraculum, seu baldachinum, et super altare, et super sedem Episcopi statuatur. Ejus forma et color. Alterum umbraculum pro rebus sacris in processionibus gestandis. A quibus hoc umbraculum deferendum, et quo ordine.

1. Umbraculum, seu baldachinum duplex est, aliud quod appendi in sublimi debet supra altare, et supra sedem Episcopi, forma quadrata, colore, ubi commode fieri possit,

conformi colori cæterorum paramentorum, pro temporum ac celebritatum varietate; aliud, quod supra Episcopum, ac res sacras in processionibus gestari consuetum est, sex, vel octo hastis sublevatum, quæ quidem per nobiliores laicos deferri solent; ita ut, cum via est longior, qua procedendum est, primo loco illustriores viri illas deferant, quæ ante Episcopum gradatim primæ conspiciuntur. Porro color baldachini et umbellæ in processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, sit albus.

2. Ordo autem hujusmodi hastas gestandi talis est, ut dignior ferat primam hastam, quæ est ante Episcopi dexteram; secundus alteram, quæ prima est ante Episcopi sinistram; tertius aliam, quæ immediate est sub prima a parte dextera; quartus aliam, quæ succedit primæ a parte sinistra; quintus tertiam hastam a parte dextera; sextus tertiam a parte sinistra, et sic deinceps; ita ut minus digni habeant postremas hastas post tergum Episcopi. Deinde, si via erit longior, distribuendum erit onus ferendi hastas prædictas cæteris civibus et nobilibus civitatis, seu Officialibus, vel sodalitatibus, aut aliis pro locorum consuetudine, judicio Episcopi moderanda, ubi opus videbitur, ne rixæ, aut contentiones oriantur.

3. Quod si inter digniores et illustriores plures essent, qui de æquali gradu, aut præeminentia contenderent, adeo ut omnibus his primo loco hastæ baldachini assignari nequissent, relinquitur his ultimus locus, id est, ubi processio jam pervenit ad Ecclesiam, ad quam dirigitur; talis enim locus reputatur primo æqualis.

4. Illud etiam observari solet, ut cum SS. Sacramentum in processione sub baldachino defertur, primo loco deferant hastas Sacerdotes digniores de Capitulo, sive sint Dignitates, sive Canonici, sive Beneficiati, aut Mansionarii digniores, juxta consuetudinem Ecclesiæ, sive illi sint parati sacris vestibus, sive non, prout processio fit cum paramentis, vel sine illis, sicut in *Cap. xxxiii. Lib. ii.* dicitur.

CAPUT XV.

Habitus Episcopi accessuri ad Ecclesiam pro re divina faciendâ. Canonici omnes in habitu Canonicali ad illum profiscantur, ac eum cappa indutum ad Ecclesiam comitentur. Ordo procedendi, si est Archiepiscopus, vel cruce utatur. Quomodo Episcopus excipere debeat Cardinalem Legatum, vel non Legatum, qui rei divinæ interfuturi sint. Certis diebus in accessu Episcopi ad Ecclesiam campanæ pulsandæ, et in solemnioribus etiam organa. Ubi orare, et parari debet Episcopus. Quando Canonici sumere debent sacra paramenta. Ordo procedendi ad Missam solemnem. Quo ritu procedendum sit ad Vesperas, et ad Missam in Ecclesiis Collegiatis.

1. Cum Episcopus rei divinæ peragendæ causa ad Ecclesiam venturus erit, sive ipsemet celebraturus sit, sive alter, debent Canonici omnes in eorum Ecclesiastico et Canonicali habitu, appropinquante hora, ad illum accedere, eumque cappa indutum; cujus caudam Capellanus, seu Caudatarius talari veste incedens, sustinet atque defert, et si Episcopus Missam Pontificali ritu sit celebraturus, vel in sede cum pluviali assistet, tunc Caudatarius superpelliceo indutus, eam deferat, ex ea aula, seu cubiculo quod ad hoc destinaverit, ad Ecclesiam progredientem, comitari et deducere.

2. Præibunt familiares Episcopi, et si aderit, Magistratus, aut alii nobiles et illustres viri, immediate ante Episcopum; tunc ipse Episcopus, et post eum sequuntur Canonici bini, juxta antiquam et canonicam disciplinam. Quod si fuerit Archiepiscopus, aut alius, utens cruce, ipsa crux immediate ante Archiepiscopum per aliquem Capellanum deferretur, imagine Crucifixi ad Archiepiscopum conversa, inter quam et Archiepiscopum nullus omnino incedat; est enim insigne ipsius.

3. Eo ordine procedent usque ad portam primariam Ecclesiæ; ibi dignior ex Capitulo porriget Episcopo aspersorium cum osculo aspersorii et manus. Episcopus asperget primo seipsum, detecto capite, deinde Canonicos et alios circumstantes, incipiendo a digniori.

4. Sed si forte S. R. E. Cardinalis Legatus, vel non Legatus venturus esset ad Ecclesiam, et rei divinæ interfuturus, tunc Episcopus ei obviam ire debet usque ad portam Ecclesiæ prædictam, et aspersorium porrigere ipsi Legato cum solitis oculis aspersorii et manus, qui se et alios asperget. Si vero esset Cardinalis non Legatus, debet quidem Episcopus ei obviam ire usque ad prædictam Ecclesiæ portam; sed aspersorium non Episcopus, sed prima dignitas, jubente Episcopo, Cardinali non Legato porriget. Interim, nisi celebretur pro Defunctis, vel in diebus ferialibus; nisi, etiam quoad dies feriales, alia sit consuetudo, campanæ Ecclesiæ pulsabuntur, et in festis solemnibus etiam organa.

5. Mox perget Episcopus ad altare SS. Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino, aut genuflexorio, ibi parato, orabit; sed ante dictam genuflexionem, genuflectet prius in plano solo absque pulvino; et similiter, cum voluerit discedere ab oratione, ob reverentiam SS. Corporis Christi; mox accedet ante altare majus, ubi pariter, post profundam cruci inclinationem, genuflexus orabit.

6. Si fuerit festus, sollemnisque dies, et ipsemet Episcopus Vesperas sit celebraturus, postquam pervenerit ad Ecclesiam ordine supradicto, dum genuflexus orabit ante altare majus, vel aliud, ubi Vesperæ sunt celebrandæ, poterit in genuflexione aliquantisper morari, dum Canonici sumant sacra paramenta, post Episcopum stantes, videlicet, illi, qui habent Dignitates, pluvialia; Presbyteri, casulas; Diaconi et Subdiaconi, dalmaticas et tunicellas coloris convenientis, acceptis prius per eosdem Canonicos, et circa collum compositis, amictibus. Sed, si haberi non possunt paramenta pro omnibus, saltem quatuor, aut sex primi,

habeant pluvialia. Episcopus autem capiet paramenta in sede sua.

7. Cum vero Episcopus Missam solemnem celebraturus erit, postquam ingressus fuerit Ecclesiam, et ante SS. Sacramentum tantum, et non ante aliud altare oraverit, ibit recta ad sacristiam, vel ad alium locum præparatum intra Ecclesiam, et ibi induet paramenta, pro se ipso præparata, recitando solitos Psalmos, Versiculos et Orationes, stantibus in gyrum, vel sedentibus Canonicis, jam alio loco paratis, prout Episcopus interim stabit, vel sedebit; quo tempore per chorum decantabitur hora Tertia, ut dicitur in *Capite VIII. Lib. II.*

8. Deinde, finita Tertia, et parato Episcopo, cum solitis cæremoniis procedetur ad altare processionali modo; quo casu Canonici parati, ut supra, antecedent Episcopum immediate. Crux vero Capituli deferatur per alium Subdiaconum paratum tunicella inter duos ceroferarios, præeunte Acolytha cum thuribulo et navicula, ante omnes Beneficiatos, aliosque de clero illius Ecclesiæ. Sed, si celebrans erit Archiepiscopus, crux Archiepiscopalis deferetur per Subdiaconum, ut supra, ante Canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero, imagine Crucifixi ad illum conversa.

9. Ideo autem hoc casu Canonici parati antecedunt Episcopum, quia itur sacra Processione; secus quando non sunt parati, nec Episcopus procedit cum pluviali et mitra, vel cum planeta, sed tantum in cappa, tunc enim ipse debet anteire, Canonici vero subsequi, ut dictum fuit, quia non est processio sacra.

10. Valde tamen probandum esset, si in solemnioribus festivitatibus, Episcopus, etiam non celebraturus, procederet ad Ecclesiam, et tam Vesperis, quam Missæ interesset, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, pluviali et mitra paratus.

11. In redeundo idem ordo servatur, non tamen cum sacris paramentis, quæ statim, expletis Vesperis, aut Missa, deponuntur ibidem in choro. Itaque in accessu Episcopi et

Canonicorum ad Ecclesiam, ac reditu eorumdem serventur ea, quæ *Lib. I. Cap. II. §. VI et Cap. XII. ac XVIII.* præscribuntur.

12. In Ecclesiis Collegiatis, diebus solemnibus, Canonici in eorum habitu Canonicali ad Vesperas procedent a sacristia bini, præcedentibus duobus ceroferariis cum cruce, et aliis de Capitulo; ultimo loco celebrans paratus pluviali, Officio et festo, quod celebratur, convenienti, et ante ipsum quatuor, aut sex alii pluvialibus induti.

13. Ad Missas eodem ordine procedunt, nisi quod celebrantem paratum planeta et reliquis paramentis Missalibus, præcedunt Diaconus et Subdiaconus, parati dalmatica et tunicella, vel, pro temporis qualitate, planetis ante pectus plicatis, ut suo loco dicitur: Diaconus scilicet immediate ante celebrantem, Subdiaconus vero ante Diaconum manibus junctis, nec alii præter ipsos erunt parati.

14. Dominicis vero diebus, quia clerus, et populus ante Missam aqua benedicta per celebrantem est aspergendus, oportet illum incedere pluviali indutum, inter Diaconum a dexteris, et Subdiaconum a sinistris de more paratos, qui postea, facta aquæ benedictæ aspersione, et dicta Oratione, et deposito pluviali, accipiet manipulum et planetam et incipiet Missam. Calix vero cum patena et bursa, liber Missalis, et alia necessaria præparentur prius per clericos apud altare in mensa ad id erecta.



CAPUT XVI.

Pallium extra Romanam Curiam ex mandato Summi Pontificis tradendum est ab Episcopo, cui id munus committitur, die præstituta in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda in Provincia Electi. Qui tradit pallium, Missam celebret. Quo ritu tradatur. Quibus diebus eo uti liceat. Modus pallii imponendi. Electus, ante receptionem pallii, neque Patriarcha, neque Metropolita vocandus. Qui pallio utuntur, cum eo sepeliendi sunt.

1. In tradendo pallio extra Romanam Curiam, consuetudo ab immemorabili tempore est ut Summus Pontifex uni, aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui præstituta die convenire debent cum ipso Electo, cui pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana, vel alia magis commoda suæ Provinciæ, nisi necessitas aliud suadeat; ubi Missa celebranda erit, et post communionem celebrantis, ponetur in medio altaris pallium extensum, serico coopertum; ac finita Missa, diei propria, quam maxime deceret, ut Episcopus, qui pallium traditurus est, celebraret, ipsemet Episcopus, sive Episcopi Commissarii in faldistorio ad cornu Epistolæ, Electo, alio loco jam parato, induantur amictu, stola, pluviali et mitra simplici, ac sedentes ante altare super faldistoriis, aut aliis sedibus, juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ accipient ab ipso Electo genuflexo et induto omnibus paramentis Pontificalibus, præter chirothecas et mitram; nisi illud prius præstitisse legitime docuerit, juxta formam litterarum Apostolicarum felicis recordationis Sixti Papæ V.

2. Quo præstito, surgent Episcopi, vel Episcopus, cum mitris, et accipient de altari pallium, quorum senior illud super humeros Electi, ante se genuflexi, imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei, etc.*, ut in Pontificali habetur.

Quo facto, surget Patriarcha, vel Archiepiscopus, cum pallio, ascendet ad altare, crucem ante se habens, et detecto capite, populo solemniter benedicet, dicens: *Sit nomen Domini, etc.* Deinde dimissis in Ecclesia, vel in secretario paramentis, omnes recedent.

3. Pallio autem utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciæ suæ, non autem extra Provinciam, et dumtaxat, dum Missam solemnem celebrat, præscriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiæ Metropolitanæ exprimi solent.

4. Quod si non reperiantur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quæ est, ut eo utatur diebus infrascriptis; videlicet, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistæ, Circumcisionis et Epiphaniæ Domini, Dominica in ramis Palmarum, Feria quinta in Cæna Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus festis sequentibus; Dominica in Albis; in Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, duodecim Apostolorum festivitibus; in festo Corporis Christi, quatuor festivitibus gloriose Virginis, id est Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in festo omnium Sanctorum, in dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus festivitibus Ecclesiæ Metropolitanæ, in ordinationibus clericorum, consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virginum, in diebus anniversariis dedicationis Ecclesiæ principalis, et consecrationis suæ. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis, vel inter prædictos non comprehensis, Archiepiscopus, si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet pallio.

5. Quando autem pallium imponitur Archiepiscopo, semper imponitur super planeta, ita ut pars duplex pallii ponatur super sinistrum humerum. Modus autem impositionis pallii, et trium spinularum gemmarum, quæ in illud infiguntur, exponitur in *Cap. viii. Lib. ii.*

6. Electi vero ad Patriarchales, vel Metropolitanas Eccle-

sias, non ante Patriarchæ, vel Archiepiscopi appellari possunt, quam pallium receperint; sed nec translati de una Ecclesia Metropolitana ad aliam, uti possunt pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant; nec pallio sui prædecessoris defuncti, nec translati: sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur, et habeatur novum pallium; nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.

7. Post obitum debent Archiepiscopi cum pallio sepeliri, si quidem sepeliantur in Provincia sua, circa humeros supra planetam: si vero extra Provinciam, ponendum erit pallium plicatum sub eorum capite. Curent igitur Archiepiscopi, ut pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum, ac in capsula intus et extra pulchre ornata, vel serico obducta inclusum, tamquam venerabile ipsius Archiepiscopi insigne, mysticis significationibus plenum.

CAPUT XVII.

Mitræ usus, et ejus species triplex. Pretiosa quando Episcopus utatur. Quando auriphrygiata, et quando simplici. Baculo pastorali utitur in civitate et sua Diœcesi tantum, et quando.

1. Mitræ usus antiquissimus est, et ejus triplex est species; una, quæ pretiosa dicitur, quia gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet; altera auriphrygiata sine gemmis, et sine laminis aureis, vel argenteis; sed vel ex aliquibus parvis margaritis composita, vel ex serico albo, auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis: tertia, quæ simplex vocatur, sine auro, ex simplici serico Damasceno, vel alio, aut etiam linea, ex tela alba confecta, rubeis lacinis, seu frangiis et vittis pendentibus.

2. Pretiosa utitur Episcopus in solemnioribus festis, et generaliter quancumque in Officio dicitur Hymnus *Te Deum laudamus*, etc., et in Missa *Gloria in excelsis Deo*, etc. Nihilominus in eisdem festis etiam auriphrygiata uti poterit, sed potius ad commoditatem, quam ex necessitate; ne scilicet Episcopus nimis gravetur, si in toto Officio pretiosa utatur; propterea usu receptum est, tam in Vesperis, quam in Missis, ut pretiosa utatur Episcopus in principio et in fine Vesperarum et Missarum solemnium, ac eundo ad Ecclesiam, et redeundo ab eadem, cum paramenta sumit, ac deponit in secretario; et quando lavat manus, et dat benedictionem solemnem. Intermedio autem spatio, loco pretiosæ, accipit auriphrygiatam, juxta normam jam superius declaratam in *Cap. xi. Lib. i. § vi.* ubi de officio, et cura servientis de mitra dictum fuit.

3. Auriphrygiata mitra utitur Episcopus ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis, excepta Dominica tertia Adventus, in qua dicitur Introitus *Gaudete in Domino semper*, etc.; ideoque in signum lætitiæ utitur tunc pretiosa. Item a Septuagesima usque ad feriam quartam majoris Hebdomadæ inclusive, excepta Dominica quarta Quadragesimæ, in qua dicitur Introitus *Lætare Hierusalem*, etc. Item in omnibus vigiliis, quæ jejunantur, et in omnibus quatuor Temporibus, in Rogationibus, Litaniis et Processionibus, quæ ex causa pœnitentiæ fiunt; in festo SS. Innocentium, nisi veniat in Dominica; et benedictionibus, et consecrationibus, quæ private aguntur. Quibus quidem temporibus abstinere Episcopus a mitra pretiosa. Poterit tamen Episcopus, dum utitur auriphrygiata, uti etiam simplici eodem modo et forma, prout de pretiosa et auriphrygiata dictum est.

4. Simplici vero mitra utitur Episcopus feria sexta in Parasceve, et in Officiis et Missis Defunctorum. Sed quia, cum Episcopus utitur mitra, utitur etiam baculo pastorali in sua Diœcesi, de eo etiam breviter dicendum est.

5. Utitur ergo Episcopus baculo pastorali in sua tantum

civitate, vel Diœcesi, et etiam alibi, ex permissione loci Ordinarii, et ubi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere, ipsi Apostolica auctoritate conceditur.

6. Utitur autem in omnibus Processionibus, quæ si longioris viæ fuerint, faciet illum ante se immediate deferri a ministro, qui de eo servit, pluviali induto, quem portabit ambabus manibus a terra elevatum; si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, vel privilegium, ut aliquis de Capitulo dignitatem habens, baculum ante Episcopum deferat, servari poterit. Si vero Processionis via fuerit brevis, poterit ipsemet Episcopus sinistra manu illum deferre; quod intelligendum est, quando Episcopus erit paratus pluviali et mitra.

7. Item in Vesperis Pontificalibus, dum procedit paratus de altari ad sedem, vel e contra, et dum dicitur Canticum *Magnificat anima mea, etc.* ac dum populo benedicit.

8. Item in Missa Pontificali, dum procedit de secretario ad altare, et cum ad eundem locum revertitur; et quoties de altari ad sedem, vel de sede ad altare procedit; dum Evangelium cantatur: cum in medio Missæ, et in fine dat benedictionem solemnem; videlicet, dum incipit producere signum crucis, et non prius; et in omnibus actibus Pontificalibus, qui per ipsum Episcopum exercentur, ut in ordinationibus, benedictionibus, consecrationibus, et huiusmodi, quæ in suis locis propriis habentur; dummodo, ut dictum est, Episcopus sit paratus pluviali et mitra, aut saltem mitra et stola; nam mitra et baculus in Episcopis sunt correlativa.

9. Excipiuntur tamen ab hac regula Officia et Missæ pro Defunctis, in quibus usus baculi cessat.

CAPUT XVIII.

Quo ritu Episcopus in accessu ad Ecclesiam genuflectere, orare et reverentias facere debeat. Quo item Canonici, cæterique de Clero. Ubi permanere, et quando genuflectere, et surgere eos oporteat, Episcopo orante, vel divinis Officiis, aut Missa inceptis. Item quid observandum, si Prælatus, vel laicus ex Magistratu superveniat. Quando assurgere et reverentias facere conveniat inter divina mysteria. Ad lotionem manuum Episcopi, ministri genuflexi officium expleant. Quoties aliquid Episcopo celebranti porrigitur, ac ab eo recipitur, toties ipsa res et manus Episcopi celebrantis, aut Legati præsentis, vel alterius celebrantis osculandæ, præterquam in Missis Defunctorum.

1. Episcopus, a quo cæteri exemplum sumunt, cum primum Ecclesiam ingreditur, detecto capite, sumptaque aqua benedicta, ut suo loco declaratum fuit, procedet ad locum Sanctissimi Sacramenti; deinde ad altare majus, et utrobique genuflexus, orabit devote, et congruenti mora, et facta prius ante altare Sanctissimi Sacramenti genuflexione in plana terra, antequam in genuflexorio genuflectat; et similiter finita oratione, antequam discedat, ut explicatum fuit in *Cap. XII. § IX. Lib. I.*

2. Si mitram habeat, ut dictum est supra *Cap. II. § V. et Cap. XII. § IX.* deponet illam, dum orat, et post orationem resumet; et cum ea faciet altari majori reverentiam, caput inclinando, antequam inde discedat, et cum incipit ascendere ad sedem suam, salutatur modica capitis inclinatione Canonicos hinc inde stantes.

3. Ipsi vero Canonici, cum pervenerint ad altare majus, simul cum Episcopo profunde se inclinant, et statim accedunt ad loca sua in choro, ubi etiam genuflectunt, et permanent orantes, quamdiu Episcopus orat; quo surgente,